ABRAM IN ÆGYPTO.

MELODRAMMA

ABBATIS POMPEII FIGARII

Muſicis animatum Modulis

A DOMINICO ZAZARA

SEMINARII ROMANI PHONASCO.

ROMÆ,
Ex Typographia Reu. Cam. Apoſtolicæ.
M. DC. XCII.

SUPERIORUM PERMISSU.

INTERLOCVTORES.

Abram.
Sarai.
Loth.
Pharao.
Aulicus.
Chorus.

Argomento della Prima Parte.

Regnando la Fame nelle parti, ove trovavasi Abramo, si ritira egli in Egitto, dove temendo à se qualche male per la bellezza di Sarai sua Moglie, le impone il palesarsegli semplicemente Sorella. Rapita essa da Faraone, vbbidisce ad Abramo con non iscoprirsegli Moglie. Faraone ne aspira alle Nozze, & in di lei grazia promette molto bene ad Abramo, e compagni.

Della Seconda.

Preparando Faraone le sue Nozze con Sarai vien funestato da molte disgrazie; non sapendo la cagione, per cui Iddio lo flagelli. Sarai vedendo le disaventure del Rè, non sà più indursi à tacere con tanto di lui danno. Risolve con Abramo di palesare al Rè il suo stato Maritale; il che appena inteso da Faraone, la rimette in libertà, dolendosi con Abramo del suo silenzio.

PARS PRIMA.

Cho. Te procùl, ò timores
Reviviſcit noſtra ſpes.
Abr. Fidæ gentes, gaudete.
Si ſedibus paternis
Fame pulſæ fuiſtis,
En fertilis Ægyptus hìc æternis
Luxuriat ariſtis.
Tu Sarai, tu Loth, curſibus lætam
Nunc præfigite metam.
Benignus hic nobis arridet Deus.
Lot. Tibi ſemper parebo:
Frater æquè tu es, ac Princeps meus.
Sar. Abram, voluntas tua
Sarai voluntas eſt. Subditæ viris
Iurè vivunt uxores.
Vxor ſum ego, meus vir tu es.
Cho. Ite procul &c.
Sar. Ecce nobis Ægyptus fæcunda
Hìc arridet gratiſſima ſedes.
Flavæ circum curvantur ariſtæ,
Atque Nili dum murmurat unda,
Siſte, ſiſte.
Siſte, clamat, viator, hic pedes.
Ecce &c.
Larga meſſe ubique prædives
Ecce lætus exultat arator.
Terræ ſinus frumento ſunt pleni,
Et Ægypti ditiſſimi cives,
Veni, veni
Veni, clamant, à longe Viator.
Larga &c.
Lot. At, ne tanta fortuna
Mens evadat ſuperba
Forsàn latebit hic anguis in herba.

Sæpè navitas illudit
Maris placida maiestas.
Dormientibus ventis, & undis
Vix in altum carina vocatur:
Cùm repentè suscitatur
E' viscèribus profundis
Horridissima tempestas.
Sæpè &c.

Sar. Ecquis in tanto gaudio nunc effudit
Voces adeò funestas?

Lot. Sæpè navitas illudit
Maris placida maiestas.
Naves allicit ore ridenti,
Pacem alit in sinu tranquillo:
Sed repente super illo
Si veloces spirant venti,
Vndas suscitant infestas.
Sæpè &c.

Sar. Confide, Loth, confide.
Sortis rigor adversæ
Hic forsitàn cessabit.

Abr. Nostræ genti dispersæ
Ægyptum dedit Deus. Ipse servabit.
Oh fælix ille pes
Cui Deus ipse meta!
Illius sola spes
Florebit semper læta!
Oh fælix.
At quæ nova timoris
Me causa nunc affligit?
Ah' in vultum Vxoris
Nimis aulicus iste oculos figit.

Aul. Quid est hoc, quod videtis luces meæ?
Vultus, quem hìc aspicio,
Non est vultus mulieris, sed Deæ.
In genis tam formosis
Pulcherrimus est flos.
Tàm lucidæ pupillæ

Sunt

Sunt placidæ favillæ,
Quæ citò perdent nos.
In genis.

Abr. Me miserum! iam cor sibi funestum
Nunc prædicit eventum.

Aul. Ecquid lentus hic moror?
Tam formosæ mulieris adventum
Regi significabo. Tanta forma
Rege tantùm est digna.

Abr. Iufælix! quid audivi? Eritne mihi
Sors hìc forsàn maligna?

Lot. Quid, ò Frater, suspiras?

Sar. Sponse, pectoris tui
Quò fugit nunc invicta fortitudo?

Abr. Intrepidus iam fui,
Sed nunc timidum facit.
Nimia tui vultus pulchritudo.

Sar. Mea te firmet fides.

Abr. Ah! Sarai, te non vides.
Pharaonis iam cerno Ministros
In te manum armare rapacem.
Et per casus tam mihi sinistros
Dabo cordi quietem, & pacem?
Si vicinam iam cerno procellam,
Si ventorum iam tonant furores,
Vndè mentis tumultus expellam?
Quis in corde sedabit timores?

Lot. Abram, sic tuæ mentis evanescit
Vigor ille sublimis?

Abr. Sarai est pulchra nimis.
Ah, sarai, ne, quæso,
Nunc te dicas uxorem;
Sed, ut securus vivam,
Fratrem me voca, voca te sororem;

Sar. Fratris quidem est nomen suave
Nobis verò non utile nomen.
Parebo. sed cave
Ne forma sororis

Dilectum uxoris
Nunc auferat omen,
Fratris &c.

Abr. Hoc est tibi dicendum,
Vt malum nimis grave
Vel eludam, vel domem.
Sar. Fratris quidem est nomen suave
Nobis vero non utile nomen.
Parebo sed cave
Ne . . . . .
Quid tamen aspicio? Quanta turba
Huc e tecto regali nunc accurrit?
Abr. Heu! quis mihi succurrit?
Vxor dilecta citò
Ad benè te gerendum linguam para.
Sar. Lot. Abr. Est miseris fortuna ubique amara.
Lot. Oh verè nimis duras
Conditiones mortalium!
Ab uno hoste declinare curas.
Et incurris in alium.
Fortunam tam gravem
Nunc iurè dolebo
Dispersam si navem
In portu videbo.
Vbique fœcunda
Est vita dolore
Sunt sirtes sub unda,
Snnt angues sub flore.
Aul. Siste pedem, formosa. Tuæ sortis
Velox arripe crinem. Te requirit
Nunc Ægypti Monarca.
Sar. Me Ægypti Monarca!
Ad quid?
Aul. Iam tui vultus
Est accensus à fama
Sar. Rege dignus non est vultus incultus,
Aul. Vt benè tibi sit, amantem ama,
Sar. Sed de Abram germano,

Sed

Sed de Loth consanguineo ;
Sed de tot, quos hìc vides,
Meæ sortis consortibus quid erit ?
Aul. Mea te firmet fides.
Ipsi quoque fruentur
Tua sorte fælici.
Erunt in gratiam tui Regis amici.
Nostri nunc Domina
Tu Regis es.
Absterge fletus,
Et pelle metus
Es tuæ gentis tu sola spes.
Nostri &c.
Sar. Hoc tantùm supplex rogo, ut hic securæ
Et Fratris sint, & amicorum res.
Aul. Nostri nunc Domina
Tu Regis es
Hic vives læta,
Si tu es meta
Quò Pharaonis nunc tendit pes.
Nostri &c.
Sar. Abram, quid erit mihi ?
Non me Sponsam dicendo,
Pharaonis accendo
Magis flammam lascivam.
Abr. Sile, si vis ut vivam
Sar. Ad planctus iam me præparo
Iam nova fugit quies
Iam labris hæret vox.
A te me ipsam separo,
Et, quæ surgebat, dies
Erit infausta nox.
Ad planctus &c.
Phar. Mulier suspirata nondum venis ?
Pulchritudinis tuæ
Iam accensus à fama
Te præcordijs expecto amore plenis.
Mulier suspirata nondum venis ?

Per te totus iam succendor;
Chare splendor,
Et inflammor sola spe.
Si consumor, dum te spero,
Qualis ero
Chare vultus coram te?
Per te &c.
Sed vicinam iam video.
Proh stupor! in hoc vultu
Pulchritudinis eminet fastigium.
Quis genis color? quis oculis decor?
Est amoris prodigium
Si hunc solem aspiciens non obcæcor.

Aul. Rex, ante pedes tuos
Ecce sistitur præda.

Phar. Si in vultu tam digno
Iam cordis mei servitutem lego,
Ipsa prædatrix est, præda sum ego.

Sar. Invictissime Rex, vilis ancillæ
Ne obsequium despicias;
Sed me, sed Fratrem meum hac in aula
Nunc benignè reficias.
Hoc supplex rogo Mulier peregrina.

Phar. Surge: tu nunc Ægypti eris Regina.
Tanti vultus à splendore
Præ amore cor liquescit.
Hæ pupillæ
Sunt favillæ
Vndè flamma citò crescit.
Ab hac luce, qua succendor,
Quantus splendor hìc resultat!
Me affligit,
Me transfigit
Et in pœnis cor exultat.
Gaude, Mulier formosa. Tibi, & tuis
Est Ægyptus amica.
Erit nunc tuus Frater Frater meus.

Abr. Adsit, ò Rex, tibi benignus Deus.

Sar.

Sar. Nos benignitas tua,
O Rex, tibi devincit
(Abram, ut tibi obediam, ita loquor.)
Phar. Sed pulchritudo tua Regem vincit.
Abr. Loth, quid tibi videtur?
Loth. Te propitius nunc Deus comitetur.
Phar. Nunc cordis amantis
Solamen tu es.
Sar. Tu pœnis in tantis
Levamen, & spes.
Sar. *Phar.* } à 2. Hoc mihi cordis / vultus tui præbent favores / fulgores
à 2. Pœnæ dulces ut sint, chari dolores.
Phar. Eia gentes gaudete. Meæ Sponsæ
Aula iam plaudat tota.
Mea nunc metam tetigere vota.
Plaudat Nilus, & iucundas
Circa ripas tollat undas.
Nunc arridet læta fors.
Si tot votis iam petita
Mea datur mihi vita,
Fuge procul, fuge mors.
Plaudat &c.
Aul. Pallidus ergo dolor
Sit undique proscriptus.
Chorus. Tota cum Rege suo gaudet Ægyptus.

Finis primæ Partis.

PARS

PARS SECVNDA

Phar. ME miserum! quid video?
Quem nunc peccando irritavi Deum?
Tot ne undique malis tam repente
Et me, & Regnum meum
Laceratum deploro,
Dum in te, pulchra sarai, quam adoro,
Bona cuncta possideo?
Me miserum! quid video?
Fortunæ dum crinem
Tenere putamus,
Tunc gaudio spectamus
Insistere finem.
Spes illicò ruit.
Sub Sole quidquid est, vt vnda, fluit.

Aul. Procùl, ò Rex, procùl ab ore tuo
Omnem pelle querelam.
Sarai in vultu suo.
Ægritudinis tuæ gerit medelam.
In corde regali
Æterna sit pax.
Iusta sunt iubila,
Si pellit nubila
Tam pulchra fax.
In &c.

Phar. Sed inter populorum
Tot effusa suspiria
Hìc me semper amorum
Enervabunt deliria?

Aul. Non subditorum infimi dolores
Sublimem tangant Regem.

Phar. Super ægrotum gregem
Ipsi quoque ægri sunt boni Pastores

Aul. At sarai formosa hùc appropinquat.
Ad illius aspectum
Omnis dolor, ò Rex, te derelinquat.

Sar.

Sar. Diri Dæmonum furores
Quid pugnatis contra me ?
In me curas, & dolores
Dum crudeles excitatis,
Nil turbatis meum cor.
Mihi Deus dum assistit,
Cor resistit,
Et armatur firma spe.
Diri &c.

Phar. Ah dum Saraim aspicio,
Vehementiùs uror.

Phar. Aul. In pulchro vultu pulcher est & furor.

Sar. Sarai nimis infelix !
Quoquò pedes tu feras, inimicus
Semper sequitur te Rex impudicus.

Phar. Sarai ?

Sar. Pharao hìc est. Fugam arripio

Phar. Ah Sarai ! tu fugis ?
Hanc amoris mercedem nunc recipio ?

Sar. Rex, me oculis tuis iurè nego.
Omnis erumnæ tuæ causa sum ego.

Aul. Præ vocibus tam mestis
Spiritus in me languent semivivi !

Phar. Proh dolor ! quid audivi ?
Quæ dolorum tam repente
Vasta moles gravat me ?
Mille pœnis iam circumdor :
Sed tu, Sarai, ubi es
Mei cordis sola spes ?
Si tu fugis, iam confundor.
Sed luminibus serenis,
Si tu venis,
Me in pœnis tam amaris
Consolaris
Destitutum omni spe.
Quæ dolorum &c.

Aul. Quis ridenti fortunæ fidem dabit,
Si quasi tactum improviso fulmine

Pha-

Pharaonem præcipitem videmus
A deliciarum culmine?
Chorus Hæc eſt rerum natura.
Præterit huius mundi omnis figura.
Lot. Abram, quouſquè tandèm.
Taciturnum te geres?
Ergo dedecus tuum mutus feres?
Surgat à ſomno vili
In te ſopita mens;
Iurè ſuperba Nili
Ne te deludat gens.
Surgat &c.
Abr. Ah! Loth, hìc quidèm vivo
Dilectiſſimus Regi.
Mille me cingunt oves,
Mille ſub iugis meis mugiunt boves.
Dum vero Saraim alienam cerno,
Divitiarum genus omne ſperno.
Lot. Nec eſt remedij ſpes?
Abr. Si tantùm loquor iam remedium ſpero.
Lot. Et adhùc mutus es?
Abr. Mutus ſemper non ero
Fræna miſeri timoris
Amor auferet à me,
Præ anguſtijs doloris
Seu peremptum me tu flebis,
Seu videbis
Lætum, Sarai, cum te.
Fræna &c.
Lot. Hùc Sarai appropinquat oportuna,
Abr. Mihi arridet fortuna.
Sar. Abram, adhuc ſilebo?
Vxoris ergo nomen
Semper tenens ignotum,
Et nos, & Pharaonis Regnum totum
Semper agi in deterius videbo?
Abram, adhùc ſilebo?
Abr. Heu! lingua reſpondebo nimis triſti,

Sarai,

Sarai, desiste iam: sat siluisti:
Sar. Dum felicem iam te speras;
Lot. Quandò lætum te tenebis
à 2. Si tu miser semèl æras,
Quoquò is, ubique flebis.
Sar. Sed pœnis finem dabo
A silentio desistens,
Quod tu, coniux dilecte, præcepisti.
Abr. Sarai, desiste iam. sat siluisti.
Sar. Si post nubila, & horrores
Mihi Cælum ridet mite,
Ite procùl, ò dolores,
Et vos iubila, venite.
Abr. In pœnis tam amaris
Sarai, tu semivivum consolaris.
Sar. Sed Regem adeamus
Abr. Te fidus sequor
Lot. Eamus
à 3. Eamus.
Aul. Heu! quam Regis misereor!
Mille patitur manes, & per aulam
Fræneticus vagatur.
Ah! ni Fatum muratur,
Mala iàm vidi, sed peiora vereor.
Heu! quam Regis misereor!
Oh Rex infælix!
Inter amores
Expertus est dolores.
Exultabat nuper fælix,
Sed à Cælo dum vexatur,
Lachrimatur
Inter mille nunc angores.
Oh Rex &c.
Sed stipatus à turba huc appropinquat,
Phar. Abram, quidnam est hoc, quod tu fecisti?
Cur non tuam uxorem.
Saraim mihi dixisti?
En tuus me nunc flagellavit Deus,

Et,

Et, mecum simulando, tu es reus.

Abr. Si timidum condemnas
Timoris vim non scis,
Doloris urget pœna;
Sed metus inter fræna
Non est loquendi vis.
Si timidum;

Phar. Erroris tamen tui
Amarum mea gens fructum collegit.

Lot. Ad silendum, ò Rex, timor coegit.
Heu quot miseros silere
Sæpè durus cogit pavor!
Hic linguam cohibet,
Hic questus prohibet,
Et nos Regum æquè ferè
Furor opprimit, & favor.
Heu &c.

Phar. Tua tecum sit uxor.
Regi quoquè iudecorum
Est alienum violare thorum.
Mihi quidèm in genis formosis
Amoris illuxit
Lætissima fax.
Sed nunc spinæ nascuntur e rosis,
Iam risus effluxit
Et fugit iam pax.
Sed quanta pro me mala
Tulit populus meus!

Sar. Lætare, Phatao; tibi parcet Deus.
Menti si redit lux,
Surgat in corde spes.
Fælix iam Regni Dux:
Iam Deo charus es.

Phar. Abram, invitus ego in te peccavi.
Tu te ipsum accusa.

Abr. Timorem meum tu, ò Rex, excusa.
Sæpè turres expugnas honoris
O timoris durissima vis!

Et

Et in viris à ſpe deſtitutis
Acerba virtutis
Tyranna tu fis.
Sæpè &c.

Phar. Oh funeſtum timorem;
Qui tantum mihi peperit dolorem!

Lot. Vt prima Ægypto facies eniteat,
Erroris te pœniteat.
In labris exultet
Lætiſſima vox.
A luce doloris
Purgatur erroris
Nigerrima nox.

Aul. Proh! quot vidi portenta?
Vera ne ſunt? an me deludunt ſomnia?

Sar. Somniator non es: vera ſunt omnia.
Poſt mille pœnas
Tu me ſerenas
O Cæli Rex.
Quando Paſtoris tu geris vicem,
Tunc ſe fælicem
Agnoſcit grex.
Poſt &c.

Aul. Sit pœnis meta
Si nobis læta
Arridet ſors.
Ad vos dum redit ſpes iam diſperſa;
In vitam verſa
Eſt ipſa mors.
Sit pœnis &c.

Phar. Ite nunc vos quò melius vocat Fatum;
Et à me quiſque diſcat
Alienum ne thorum concupiſcat.

Chorus. Quiſque diſcat
Alienum ne thorum concupiſcat.

FINIS.

FINIS.